DEO CLEMENTER GUBERNANTE
&
MAGNIFICO, NOBILISSIMO & AMPLISSIMO
JCtorum Ordine
In inclytâ Argentoratensium Academiâ
permittente

SUCCESSIONEM FEUDALEM

Pro Licentiâ
Privilegia & Honores in Utroque Jure
summos ritè consequendi
publicè ventilandam exhibet


JOH. FRIDERICUS FUGMANNUS,
Belzigensis Saxo.


Ad d. 21 Martij
Anno CIƆ IƆC LXIV.



ARGENTORATI

Literis GEORGII ANDREÆ DOLHOPFFII,
Imprimebat JOHANNES Schütz.





Admodùm Reverendo, Nobilissimo, ac Excellentissimo

VIRO

DNO. JUSTO Söffing/ SS. Theol. Doctori celeberrimo, & apud Rudelstadienses Superintendenti Generali gravissimo, nec non Consistorii ejus loci Assessori dignissimo, &c. Patrono benè de se merito.

Nec non

Amplissimo, Spectatissimoq; Viro

DNO. NICOLAO FUGMANNO, Quæsturæ Belzigensis & Rabensteinensis Præfecto meritissimo, Patri optimo.

ANxiè præsentium, nominibus vestris clarissimis, inscriptarum pagellarum rationem reddendam non arbitror, si meam, ex pio & obsequioso erga Vos affectu, profectam hìc audaciam profitebor. Cùm enim tempora, quibus fundamenta eruditionis posui, considero, Te, maximè Reverende Vir, Præceptorem fidelissimum semper deprehendi, qui mentem meam, instar tabulæ rasæ, ad præclara studia præparasti, adeò, ut sine Te, alicujus eruditionis opinionem attingere, vix licuisset. Dubito itaque, an non Te, Præceptorem optimum, præponam parenti. Sunt quidem parentes à DEO vitæ nostræ authores: sed Præceptores, non solùm ut vivamus, verùm etiam, ut rectè vivamus, parentibusquè gaudio, & aliis emolumento simus, efficiunt. Sed, quanquam hâc in parte, ipsorum laus ad astra tollenda est; dulcissimorum tamen Parentum beneficia, vel parùm, vel nunquam recompensabimus. In perpetuæ igitur gratitudinis testimonium, atq; obedientiæ signum, has theses inaugurales Vobis offero. Suscipite benevolo animo eas, & meis studiis, meisquè conatibus favere, atque pro re natâ mihi, vestrò promovendi studio subvenire, haud dedignamini.

V. plur. Rever. Excell.
& Amplit.

obsequentissimus

JOH. FRIDERICUS FUGMANNUS,
Autor.

IN NOMINE JESU!

QUandoquidem secundum JCtum Paulum, ea, quæ quotidiana sunt, & quæ usum in vitâ communi habent, diligenter sunt addiscenda: ideò me operæ precium facturum existimavi, si in naturam successionum, quibus in foro & judiciis feudalibus nihil ferè frequentius, paulò altius inquirerem. Implorato itaque auxilio divino, sit.

Thesis I.

IN tabulis Consuetudinum feudalium claris verbis consignatum est, Successionem modum acquirendi feudum esse 2. *Feud.* 1. §. *Sciendum*; ibi: *ac Feudum neminem posse acquirere nisi investiturâ, aut successione:* 1. F. 8. & 2. F. 33. *in pr.* Quamvis autem prima investitura basis atque fundamentum reliquarum investituræ renovationum sit, ac ut causa substernatur atque aperiatur successionibus, inde tamen non efficitur, Successionem non esse singularem acquirendi Feudi modum; siquidem quod pater primò novâ investiturâ feudum acquirit, hoc eâdem filius non acquirit, sed successione, ac uti pater per propriam investituram consequitur possessionem, de quâ intelligi potest, quod 2. F. 2. *in pr. investitura dicitur possessio*, ita, patre mortuo, eadem in filium non devolvitur, sed denuò corpore & animo, per investituræ renovationem & actualem apprehensionem acquirenda est: ac largiar, quod filius mortui vasalli habitualem ac potentialem possessionem feudi habeat ratione primæ investituræ, realem tamen ipsi abjudico, si nondum apprehenderit actu: ac intuitu illius habitudinis verum est, quod §. *sui* 2. *Inst. de hered. qu. & differ.* habetur: *filium, vivente patre, quodammodo dominum esse bonorum paternorum.* Successio igitur est acquisitio Feudi illius, quod, deficiente Vasallo, successori feudorum placitis obvenit: Magnif. Dn. Strau-

Dn. Strauchius, Affinis, Dominus atque Patronus meus magni ſemper æſtimandus. *Diſp.1. Succeſſ.ab inteſtato th.33.* & Dn. Ludvvell. τῶν ἐν ἀγλοις, *de Succeſſ. Feud. c.1.*

II.

Notum autem eſt, duplicem eſſe Succeſſionem, Teſtamentariam, quæ ex teſtamento, & Legitimam, quæ ab inteſtato defertur *l.39 ff. de adquir. vel amitt. hered.* Utraque recepta & uſitata eſt in bonis allodialibus, ut, de quibus teſtatori ſine ullo dubio liberum eſt, teſtari ac diſponere *l.1. C. de SS. Eccleſ.* Quod ſi teſtamentum non fecerit, lex ſupplet quaſi voluntatem defuncti & ſucceſſione legitimâ eis bona, qui proximè fuêre defuncto conjuncti, tribuit, quaſi ea ſuprema voluntas fuerit ejus, qui moriens aliam non expreſſerat voluntatem, uti habet Excell. Dn. Struv. *in Syntagm. jur. feud. c.9. n.4.* Dico, aliam non expreſſerat voluntatem, in legitimâ enim ſucceſſione tacita defuncti voluntas apparet, dum ſuccedendi locum legitimis heredibus ipſemet eſſe voluit, per *l.8. §.1. ff. d. Iure Codicill.* Si verò conditum ritè teſtamentum infirmetur modis in jure proditis, ac ita cauſa teſtati ad inteſtati cauſam recideret, huic tacitè conſenſiſſe teſtator dici nequit.

III.

In feudis ſucceſſio teſtamentaria regulariter nullum ſibi vendicat locum, prout feudiſta ſcribit 1. F. 8. ibi: *nullâ ordinatione.* Per teſtamentum enim res, ſuper quâ diſponitur, alienatur *l peto 69. §. fratre 3. ff. d. Leg. 2.* Alienationem autem feudi prohibitam eſſe, patet ex Conſt. Imp. Lotharii 2. *F.* 52. & Friderici 2. *F.* 55. Deinde, quando Dominus feudum alicui ſimpliciter concedit, videtur illi ac ejus heredibus, ſive poſteris ab ipſo deſcendentibus proſpicere voluiſſe. Dn. Struv. *d. loc.*

IV.

Sunt, qui exiſtimant, de Feudo novo in præjudicium filiorum teſtamentum ordinari poſſe vel ſimpliciter, vel accedente Domini conſenſu: ut Dn. Rittersh. *Partit. Feud. lib. 1. c. 12. qu. 6.* dum ſcribit: *Excipitur Feudum novum, de quo accedente conſenſu & permiſſu Domini, aut certè ſubſecutâ ratificatione, vaſallus teſtari poteſt, ut proinde etiam uni ex filiis id prælegare poſſit. Ratio diſ-*

tio differentia inter Feudum antiquum & novum, cur inquam de illo non possit vasallus quicquam disponere testamento, vel uni filiorum illud prælegare, de hoc possit, est hæc: Quia in illo præjudicium fieret vel agnatis, vel cæteris liberis, quibus non debet jus semel quæsitum ex tenore primæ investituræ auferri. Quod secus est in feudo novo. Nam quod ego primùm mihi acquisivi, quare non possim meo arbitrio alienare, cùm per id nemini sim nociturus. Hæc Ille. Sed quod pace & veniâ tanti JCti respondeam, veriorem puto contrariam sententiam, quæ & juris textibus probatur, & ex verbis Rittershusianis spontè fluit: Textus verò sunt 1. F. 8. ubi in frontispicio dicitur. *Si quis decesserit filiis & filiabus superstitibus, succedunt tantùm filij æqualiter, vel nepotes ex filio loco sui patris:* NULLA ORDINATIONE DEFUNCTI *in feudo manente, vel valente.* Ecce pater decessit Feudum relinquens, novum an verò antiqvum, nihil interest; si enim interesset, puto id JCtus in hoc famosissimo textu expressisset: Is pater si de Feudo etiam novo fecerit testamentum, id invalidum ac nullum est: hujus denegatæ ordinationis testamentariæ facilè ex 1. F. 1. §. 1. *in fin.* ratio indagatu est, nempè quod in primâ ac ita novâ investiturâ radicatum jus habent liberi, & qui ab iis nascentur; tùm ex intentione dantis, tùm accipientis Patris feudum, qui sibi, liberisque suis infeudatus acquirere voluit. Atque hoc Dn Rittershusii verba ipsa evincunt, ex quibus argumentarer.

Quibus non debet jus semel quæsitum ex tenore PRIMÆ INVESTITURÆ auferri, in eorum præjudicium de novo feudo fieri nequit dispositio paterna testamentaria.

Sed liberis non debet jus semel quæsitum ex tenore PRIMÆ INVESTITURÆ auferri. E.

Minorem Propositionem concedet Dn. Rittershusius, aut qui ejus sententiam sequetur. Majoris connexio satis communi sensui obvia est, siquidem prima investitura est nova investitura; illi verò primæ Dn. Rittershus. jus liberorum acceptum refert, quod utut potentiale, & tanquam in herba sit, eidem tamen præjudicare ne-

 quibit

quibit parens. Nec prælegato locus patere potest, cùm vi primæ concessionis descendentes æquale jus quæsitum habent, quod citra eorum factum, i. e. consensum adimi non debet *d.* 1. *F.* 8. & 1. *F.* 13. §. *etsi clientulus. l.* 10. §. *fin. D. d. bonor. poss. cont. tabb.*

V.

Relictâ successione testamentariâ, de Successione ab intestato agendum erit. Ea autem in feudis minus propriè ita nuncupatur. Intestati enim propriè appellantur, qui, cùm possint testamentum facere, testati tamen non sunt *l.* 1. *in pr. ff. de suis & legit. hered.* Cùm verò de rebus feudalibus testari Vasallus non possit, ejusque ordinatio ultima nulla sit, & inutilis 1. *F.* 8. Planè eum, qui testari non potuit, propriè intestatum dicere non licet. Atque sic etiam impropriè hæc successio feudalis ab intestato salutatur: Rectius ergo legitimam hanc successionem nomino cum Giphan. *antin. jur. feud. disp.* 5. *n.* 9. in quâ non tàm attenditur, cui succedatur, quam quis succedat.

VI.

In succedendo tres ordines sive lineæ, jure quidem civili occurrunt. *Novell.* 118. *in pref.* Ut sunt (1.) Descendentes seu liberi naturales & legitimi simul, qui ex justis nuptiis legitimoque thoro, seu matrimonio nati ac procreati sunt. *pr. Inst. d patr. potest. l.* 3. & *l. filium* 6. *ff. de his qui sui vel alien. jur. sunt.* Germanicè Ehlich gebohrne Kinder. Ideò autem nomen naturalium adipiscuntur, quia secundum naturam ex parentibus sunt procreati. Legitimi simul eam ob causam nominantur: quia ista conjunctio parentum, ex quâ nati sunt, à lege divinâ, humanâ, civili & canonicâ est approbata, ut constat ex *tit.* 10. *Inst. d. Nupt.* (2.) Ascendentes seu Parentes, quorum appellatione veniunt non tantùm parentes usque ad Tritavum propriè sic dicti: sed & ulteriores, qui non habent speciale nomen, & Majores appellantur *l. ICtus* 10. §. *parentes* 7. *ff. de gradib. & adfin.* (3.) Collaterales sive Transversales.

VII.

Ascendentes à feudi successione removentur, per text. 2. *F.* 50. Ubi dicitur: *Successionis feudi talis est natura, quod ascendentes non succedunt: v. g. pater filio, inferius verò filius patri succedit.* Die Lehen fallen vom Vatter auff den Sohn/ aber

aber nicht vom Sohn auff den Vater / Uti habet jus Saxon. Lehnr. c. 6. & c. 21.

VIII.

Et hoc tàm de feudo Novo, quàm de Antiqvo est accipiendum. De illo quidem minor est dubitatio, quod in primâ investiturâ inter Dominum & Vasallum hoc actum esse intelligatur, ut feudum ad investitum, ejusque posteros, non etiam parentes pertineat. 1. F. 14. §. Capitanei, ibi: prædicti fratres. 2. F. 23. *in fin.* ibi: ut ad eum, heredesque suos masculos. Deinde etiam, quando Vasallus moritur sine descendentibus, ex juris feudalis dispositione feudum revertitur ad Dominum, & non ad Patrem, vel alios Ascendentes. Udalr. Zas. *part.* 8. *d. feud. n.* 2.

IX.

De Antiquo feudo non minus id est verum, tùm ob generalitatem regulæ 2. F. 50. *pr.* tùm etiam, quod feudi paterni hæc sit natura, ut ab ascendentibus in descendentes, ac ordinariè filius aut nepos in feudo, non nisi defuncto avo aut patre succedere possit. vid. Dn. Struv. *Syntagm. jur. feud. d. c. 9. th.* 3. Quæ quidem repulsa, quam in bonis liberorum parentes ferunt, contra jus naturale humanum seu rectam rationem minimè est, hujus enim sanctitatem & æternitatem ita semper casta Romanorum pectora magnifecêre, ut humanâ legislatione tolli passi nunquam sint. Sed observes velim, variè dici aliquid esse juris naturalis juxta CL. Hahn. *Observat. ad Wesenb. π. d. just. & jur. n.* 15. sc. inter alia, *quod propriè juris naturalis sit, quod est ex dictamine rectæ rationis; deinde notat ea, quæ fundamentum habent in conditione naturali, licet simpliciter non præcipiantur à jure Naturæ, ut filium succedere patri ab intestato: quia licet id non præscribat omninò lex naturalis, ad id tamen inclinat, & quasi naturaliter sequitur, nisi aliud impedimentum imponatur v. g. per causas exheredationis.* Hæc ille: Si itaque successio liberorum in bonis paternis ne quidem juris naturæ est, eaque ob ingratitudinem auferri potest voluntate privatorum, quid dicendum de successione Parentum, quibus si sequi licet. CL. Sutholtum, *Dissert. IX. ad Inst. th.* 39. ne quidem juræ Naturæ legitima de-

ina debetur; illam nempe successionem à lege publicâ prohiberi potuisse, ac hinc pro jure Morum Feudalium concludendum, justè à feudis liberorum semotos fuisse parentes: Nec destituimur civilibus rationibus, utpote quod hæc successionis feudalis natura sit, quod ascendentes non succedant 2.F.50. cujus rationem à communi hominum affectione petimus, qui sibi ac suæ posteritati consulere omnimodo volunt. Deinde illa in 1.F.1.§.1. primæva feudorum natura strictam recipit interpretationem: sc. quod posteà, cùm in feudis Successio placuisset, hæc in parentibus pristinum statum, ut non succedatur, retinuerit: & quod Arcanum Reipubl Langobardicæ videri poterat, ad Parentes ideò Successio producta non fuit, quò citius utile dominium cum directo consolidaretur. Consule Janum ab Arcedurâ *cap.2.conclus.7.Feud.à n.6.* Dn.Struv.*d.cap.9.th.3.num.2.*

X.

Dantur tamen casus singulares, quibus successio Parentum in feudis admittenda. Si vel in feudi concessione sive investiturâ id expressè actum sit; ut Vasallo, sine masculâ prole defuncto, feudum ad ejus parentem pertineat. 2.F.84. ibi: *nisi nominatim cum domino pactus fuerit.* Ubi, contractâ fiduciâ, pater filium de feudo à domino suo curavit investiri, eâ fini, ut filio præmortuo recurreret ad se feudum. Harpr. *in Comm.ad Inst. de hered. quæ ab intest. defer. n. 382.* Vel quando filius respectu patris, ob ejus servitia & benè merita de feudo fuit investitus, per *l.6. in fin.ff. de Coll. bon.* Ubi dicitur: *non est infavorabilis sententia.* Quæ verba applico ad casum nostrum. Non est infavorabilis sententia, quod propter illum vel ejus meritum datum est. In veteri seu paterno, successio hæc tùm potissimum locum habet, si pater vel avus superstes, in favorem filii sui vel nepotis, feudo suo renunciavit. Quoniam hoc casu pater, non tanquam filii successor, sed primi acquirentis, & pòst succedentium habetur. Corv. *aphor. jur.feud. lib. 2. tit.* 4. Quò pertinet etiam, si feudum sit merè hereditarium. *Nov.* 118.*c. si igitur defunctus* 2. Vel si consuetudine, vel statutô illius loci, in quo feudum, de cujus successione agitur, situm est, hoc sit receptum. Harpr. *loc. cit. n.* 385. Sed ad Descendentes descendo.

XI. De-

XI.

Descendentium appellatione veniunt liberi, i. e. non solùm filii & filiæ, sed etiam nepotes neptesve. Corv. *aph. jur. feud. lib. 2. cap. 5.* Ratio est: quoniam naturalis ratio, quasi lex quædam tacita liberis parentum hereditatem adjicit, ad debitam Successionem eos vocando *l. 7. ff. de bon. damn.* Unde Grot. *lib. 2. c. 7. n. 5.* ait: *liberos hereditas sequitur, partim quidem ob præcisum debitum naturale, partim ex conjecturâ naturali, quâ parentes creduntur id velle, ut liberis quàm optimè prospectum sit.* Requiritur autem in successione feudali, ut ex sanguine primi acquirentis, per lineam masculinam legitimè sint propagati 2. F. 31. *in fin.* ibi: *dum tamen hos constet ab eo, qui id acquisivit per masculos descendisse.* Non enim videtur Dominus feudum concedere aliis, quàm investito, ejusque descendentibus, nec de aliis successoribus cogitasse, adeoque iis non extantibus ad Dominum revertitur. Et hoc ipsum in investituris solet exprimi verbis: für sich und seine Leibes-Lehens-Erben: quibus heredes ex corpore investiti descendentes significantur. Dn. Struv. *synt. d. cap. 9. th. 2.*

XII.

Et quidem Successio hæc in infinitum sese extendit, per text. expressum 2. F. 11. *v. his verò deficientibus.* Hic vocantur simpliciter & in genere agnati ulteriores. Sed illi, qui sunt ultra septimum vel decimum gradum, etiam sunt agnati. Dubitandum igitur haud est, quin agnatorum Successio non circumcludatur septimo vel decimo gradu. 2. F. 31. *in fin.* 2. F. 50. *v. ex latere omnes.* Obj. infinitatem esse vitandam. ℞. Nos determinare & restringere non debemus, quod leges optimâ ratione infinitum esse voluerunt. Unde ea infinitas tantùm vitanda est, quæ legibus & rationi est contraria. Obj. §. 6. *Inst. de hered. quæ ab intest.* ℞. Quoniam ibi nepotum & pronepotum mentio fit tantùm exempli causa. Exempla autem regulam non stringere, sed illustrare solent. Harp. *Comm. Inst. de hered. quæ ab intest. def. n.* 74. Obj. *c. quia. §. hoc quoq; 4. 1. F. 1.* Ubi ad septimum gradum restringi hæc successio videtur. ℞. Ita quidem olim obtinuisse, sed usu paulatim immutatum, & successionem in infinitum porrectam esse.

XIII.

In feudis Regalem Dignitatem annexam habentibus, aut aliis, ubi jus Primogeniturae locum habet, si ex primogeniti filio praemortuo adsit nepos, cum quo secundo genitus filius seu patruus concurrit, uter alteri sit antelocandus, non calamis tantùm, sed & telis agitata quaestio est: siquidem ob eam plurima bella exorta fuerunt, & Otto Imper. citante Gudelino *de jure Feudorum p. 3. cap. 4. §. 12.* & Fr. Hotm. *quaest. Illustr. 3. pag. 856.* cùm talis controversia incidisset, cerneretque Consultos tam parùm inter se consentire, Monomachiae negotium commisit Martis judicio, quasi divinitus decidendum, ac addit Cujac. *Commentar. 1. Feud. 4.* quod cesserit victoria his, qui nepotes computarunt inter filios: Qui *lib. 2. Feud. 11.* pro nepotibus plura ex Historiis exempla recenset: Horum Nepotum justiorem quàm Patrui puto esse causam: Quia feudalis hereditas semel uni prosapiae quaesita, quamdiu in eâ masculus superstitat, ad alteram non transfertur *2. F. 31. in fin. & 2. F. 50.* ex quo necessariò efficitur, nepoti jure Suitatis deberi successionem, vi cujus in locum patris vacue factum intrat, quem & gradu, & aetate, & sexu, & omnibus quae inhaerebant qualitatibus repraesentabit. Consule Gudel. *d. l.* Schnobel. *Disput. Feud. VI. th. fin.*

XIV.

Aequum omninò est, liberos aequali gradu positos, aequaliter & aequo jure in Feudis succedere debere (possunt verò uni eadem feuda caeteri, si ipsis aliunde satisfiat, relinquere *2. F. 50.*) adeò ut distingui non debeat, an Feudum sit Regale, vel non Regale: Olim quidem in Ducatu, Marchionatu, & Comitatu nemo succedebat, nisi haec eminentissima Feuda ab Imperatore per investituram acquisivisset. *1. F. 14. pr.* posteà verò consuetudine aliud usurpatum fuit. *1. F. 13. in fin.* quae Consuetudo Legis vim meritissimo suo habet. Quam consuetudinem censeo cum Obrechto *de jur. Feudor. lib. 2. cap. 13. n. 64.* à Friderico Imperat. *2. F. 55.* approbatam esse; siquidem in toto *Tit. 55.* ad unum tantùm spectare debere Regale feudum haud dicitur: & si ob §. 1. excipias, ne summa feuda dividantur, clarissimum inde efficitur, posse in tali feudo totam e. gr. regiam domum in infinitum succedere, ita tamen, ut major natu caeteris praeferatur; de quo quidem *d. §. 1.* explicitè textus non loquitur,

quitur,sed cùm Marchia inter plures filios non sit dividenda, utique uni eorum, quem majorem natu esse oportet, soli successio patula erit. Hoc Primogenii Jus Carolus IV. Imp. in suâ Chrysobullâ *cap.* 7. repetitum ivit his verbis: *Statuimus & Imperiali Autoritate præsenti lege perpetuis temporibus valitura decernimus, ut postquam iidem Principes Electores Seculares, & Eorum Quilibet esse desierint, Ius, Vox, & Potestas. Electionis hujusmodi ad filium suum Primogenitum, legitimum, Laicum: Illo verò non existente, ad ejusdem Primogeniti Primogenitum similiter Laicum, liberè & sine contradictione cujuspiam devolvatur. Si verò Primogenitus hujusmodi absq; heredibus masculis, legitimis, laicis, ab hâc luce migraret, virtute præsentis Imperialis Edicti, Ius, Vox & Potestas Electionis prædictæ, ad seniorem Fratrem Laicum per veram paternam lineam descendentem, & deinceps ad Illius Primogenitum Laicum devolvatur. Et talis successio in Primogenitis & heredibus Principum eorundem, in Iure, Voce, & Potestate præmissis, perpetuis temporibus observetur.*

XV.

Circa quæ accedit quæstio isthæc. An is primogenituræ jure fruatur, qui alios quidem nativitate præcessit: eo autem tempore pater illius regnum, de cujus successione agitur, nondum acquisierat. Et quidem Dd. priùs nato regnum adjudicant; quia hic ordine nascendi & naturâ ipsâ jus quæsitum habet. E. Hoc ei per alterius nativitatem non debet eripi. Et quia de conditione heredis, antequam successio ad eum pertineat, non est quærendum *l.* 52. *ff. d. Leg.* 2. utique post mortem patris primogenito successio competere incipit *arg. l.* 1. *§. si impubere* 21. *ff. de Collat. bon.* hic, qui ante regnum natus, & ætatis privilegio naturæque felicitate primus est, meritò cæteris præferri debet Obr. *cit. loc. n.* 68. Adversarium hîc habet Primogenitus Noster Udalricum Zasium *part.* 8. *de Feudi successione n.* 66. ita scribentem. *In quibus dignitatibus nec prætereundum erit, quod consuetudo, quæ super successione*

Primogeniti usurpata est, intelligitur de Primogenito, qui in statu Dignitatis, NON ANTE, *natus sit: nam qui ante natus est, quam Marchionatum vel aliam Dignitatem pater adeptus esset, posthabebitur ei, qui post adeptum Marchionatum sit genitus.* ac Illustrem & Generosiss. Dn. Fridericum Schenck, Liberum Baronem à Tautenberg *Tr. de Feud. lib. 1. Tit. 14. n. 16. Postremò,* ajentem, *cùm dictet consuetudo, Primogenitum Regis in paternum Regnum succedere debere, & quispiam habens filios, Regnum aliquod consequatur, ille primogenitus, qui Patre jam facto Rege, natus est, ad successionem Regni vocabitur: non autem ille, quem ante Regnum susceptum genuit; idq; probari videtur per l. Senator* 11. *C. de Dignitat. Quanquam L. Senatoris filium* 5. *ff. de Senator. contrarium indicare videatur. Sed præfata l. senator C. d. Dignit. ut recentiori standum esse, probabiliter dici poterit.* Sed de sententiâ meâ ut dimovear, adduci nequeo. Video verò, pugnari pro parte alterâ textibus ex Civili jure accersitis: benè; sunt anim leges Romanæ dignæ & sufficientes quandoque, ut iisdem controversias Principum decidas. Monere insuper habeo, frustrà *L. Senator C. Legi Senatoris filii 5. ff.* opponi: quoniam Pandectarum & Codicis jura ita suaviter conspirant, ut in iisdem contrarium nullum sibi locum vindicet, nec inveniatur, si quis subtili animo diversitatis rationes excutiat §. 15. *Constit. de Confirmat. Digest. ad Senatum & omnes populos*: Nec potest Illustris à Tautenberg adeò alienus esse à partibus quib. ego sto, dum *l. 5. ff. de Senator.* opinioni, quam tuetur, contrariam esse, quàm ingenuè fatetur. Tempus est, ut *l. 11. C. de Dignit.* ad lydium juris lapidem revocemus, cùm eidem Adversarius unicè innitatur. Jam nisi Regulæ bonæ interpretationis fallunt, ex *d. l. 11. C.* tale argumentum extrui poterit:

Quibuscunque filiis paternos honores invideri non oportet, iidem necesse est, sint Senatoris vel Clarissimi Parentis liberi.

Sed filiis ante Patris Senatoriam & Clarissimatus Dignitatem natis, paternos honores invideri non oportet. E.

Filii ante Patris Senatoriam & Clarissimatus Dignitatem nati, necesse est sint Senatoris & Clarissimi Patris filii, ac consequenter Senatorii ac Clarissimi liberi.

Major propositio suâ luce radiat. Minor verò probatur; cùm in *d. l.* 11. *C.* paternis honoribus digni putentur liberi, nec iisdem defraudandi sint; dum enim in fronte legis dubitatio occurrit de filiis privatorum Patrum, an filii ad Dignitatem pòst adspirarint, hæc filiis honori esse queat, id ipsum in umbilico Legis, clarissimis verbis deciditur. Dum Mangnif. JCtum Augustinum Strauchium, olim Juridici Collegii Witteb. Dn. Ordinarium, nunc verò Serenisſ. Elector. Sax. à secretioribus consiliis &c. *Disput.* 3. *Successionum ab Intestato th.* 10. *d. l.* 11. C. eodem exponentem modo video, valdè mihi de meâ sententiâ gratulor. Sunt verò Jurisconsultissimi Strauchii hæc verba *d. l.* *Alii etiam volunt L. istam potius thesin confirmare per verb. cum autem paternos honores &c. quibus asseri videtur, plebejos post acquisitam à Patre dignitatem fieri Clarissimos, cùm aliàs verba ista incongruum habeant sensum.*

XVI.

Sed quid si gemelli masculi uno partu edantur, quis inter eos gaudebit jure primogenituræ? ardua hæc est controversia. Ego existimo, eum, qui primus ex utero prodiit in lucem, exemplo Esavi & Jacobi *Gen.* 25. *v.* 25. cùm natura non patiatur uno impetu duos infantes de utero matris excedere *l.* 15. *ff. de stat. hom.* Ubi verò constare non poterit, quis primus eorum lucem adspexerit, propter incuriositatem obstetricum, aliorumque præsentium, difficillima erit decisio. Sunt, qui utrumque admittunt, sunt alii, qui utrumque excludunt, plures digniorem præferendum judicant. Alii rem sorte dirimendam, suadent, quorum sententia procul dubio tutissima.

XVII.

Tenendum autem est, quod naturales & legitimi simul h. e. ex justis nuptiis procreati, vel sunt in potestate Patris, vel patria

poteſtate liberati, ſeu emancipati. Corv. *d. l. c. 5.* Emancipati non minus ſuccedunt, ac liberi in poteſtate patriâ exiſtentes; dum quod deſcendentes maſculi generaliter & indiſtinctè ad ſucceſſionem feudi vocentur 1. F. 1. §. 4. tum quod etiam jure Civili noviſſimo emancipati cum ſuis æqualiter admittantur. *Novell.* 118. *c.* 1. Obj. Quoniam ſublata eſt per emancipationem agnatio, ſequitur, quod tantùm cognati ſint. §. *fin. Inſt. d. legit. agn. tut.* quos in feudis non ſuccedere plus quàm manifeſtum eſt. *per c. un.* 2. F. 11. ℞. Hodie emancipationem capitis deminutionem non eſſe, ſed potius emancipatis, licet agnati non ſint, legum tamen beneficio agnatorum jura quoad ſucceſſionem per omnia & omnibus tributa eſſe Dn. Ludvv. *in Tr. jur. feud. d. ſucceſ. c. 3. p.* 225. Quando ſunt in poteſtate patriâ, tunc aut ſoli extant, aut cum filiis & filiabus ex filio filiave præmortuo, præmortuave concurrunt. Corv. *aph. jur. feud. lib.* 2. *tit.* 5. Si extent ſoli filius filiave, jure civili in capita ſuccedunt. Quia æquum eſt, eos æqualiter ſuccedere, qui omnes in primo ſunt gradu, omnesque pari & æquali jure nituntur. Obr, *tr. feud. lib.* 2. *c.* 13. *n.* 55. Jure feudali, ſive feudum ſit novum, ſive antiqvum, & ſive hodie, non olim, ſit regale, ſive non regale, regulariter ſoli ſuccedunt filii in capita 1. F. 1. §. 1. *v. ad omnes æqual. fil.* 1. F. 8. *v. tantum filii æqual.* Dn. Struv. *Synt. jur. feud. all. loc. th.* 5.

XVIII.

Nec intereſt, ut nunc lucem aſpiciant, auraque vitali fruantur, ſed eos in utero eſſe, ſufficit *l.* 4. *C. de ſuis & legit. lib.* dummodo non monſtroſâ aut prodigioſâ formâ, converſo modo, *παρὰ τῆς φύσεως ἀρχὰς* procedant *l.* 3. *in fin. C. d. poſth. hered. inſtit.* Hinc in *l.* 14. *D. de ſtat. hom.* dicitur: *Non ſunt liberi, qui contra formam humani generis converſo more procreantur, veluti ſi mulier monſtroſum aliquid, aut prodigioſum enixa ſit:* Si enim ex homine alia proles quàm humana producitur, quod naſcitur homo vocari non debet. Talis portentoſus partus teſtamentum non rumpebat *d. l.* 3. *C. de poſth. hered. inſtituend.* Lexque Romuli permittebat, ut idem ſine fraude cædi poſſet, modo ita monſtroſus eſſet, ut verè homo dici non poſſet. Sed in *L.* 135. *ff. d. V. S.* monſtroſus partus profuit parentibus. Reſpondetur enim, ibi JCtum loqui *d. L. Iul. & Pap.* (poſtmodum per *l. fin. C. d. infirm.*

pœn.

pœn. cælib. abrogota) ut ex inſcriptione apparet, quâ pœna etiam erat conſtituta in conjuges orbitati ſtudentes, ita ut orba mulier privaretur ſemiſſe eorum, quæ ipſi relicta erant. Ad eam pœnam evitandam proderant monſtroſi quoque partus; non verò ut eſſent liberi & parentum propterea ad capiendas hereditates admittentur.

XIX.

Similiter etiam ſuccedunt filii in teſtamento præteriti. Quia non ordinatio Vaſalli teſtamentaria, ſed natura feudi inſpicitur. Cùm certiſſima maneat regula juris feudalis, *nullam ordinationem defuncti in feudo valere*, 1. F. 8. *in fin. pr.* Quod ſi tamen feudum tale ſit, in quo ordinatio defuncti ſubſiſtere poſſit: tum non negamus, juſtè exheredatos à ſucceſſione feudi arceri, quia ut tùm ordinatio teſtamenti, ita etiam exheredatio locum habere poteſt. Obrecht. *d. l. n.* 60.

XX.

Semimarium & Hermaphroditorum iniquum olim fatum fuit, Aruſpices enim non patiebantur eos vivere: JCti tamen noſtri Androgynis benigniores fuêre, quos non modo vivere ſinebant, ſed & ſexus rationem hàbuêre, qui in iis prævaleret *l.* 10. *ff. d. ſtat. hom.* Reverà enim ſunt homines, hominumquè proprias actiones ſubire poſſunt; hinc Philoſophorum diſtinctio eſt inter monſtra, in quibus eſt ſecundum ſubſtantiam, & in quibus tantùm ſecundum accidens mutatio eſt.

XXI.

Recenſitis ad hunc modum illis, qui in hâc lineâ deſcendente ſuccedere poſſunt, videndum conſequenter de illis, qui non poſſunt. Ejuſmodi ſunt etiam liberi legitimè nati, qui excluduntur ob ſequentes cauſas (1.) Ob feloniam vel à patre commiſſam 2. F. 26. §. *ſi vaſallus culpam.* vel etiam ab ipſis filiis. (2.) Quod aliàs ſint indigni, ut ſuccedant in feudo, veluti infames. (3.) Quod ſpeciali pacto à ſucceſſione ſint excluſi, nimirum filii nati ex matrimonio ad morganaticam contracto. Dicitur verò matrimonium ad morganaticam contrahi, quod eo pacto contrahitur, ut tàm uxor, quàm filii contenti ſint dono nuptiali, quæ morgengaba (Morgengab) & corruptè morganatica dicitur, vel ejuſmodi alia certâ portione

tempore

tempore sponsaliorum, vel nuptiarum destinata. 2. F. 29. E. G. Vir nobilis uxorem habuit nobilem, ex quâ suscepit filios nonnullos, postea ducit mulierem ignobilem vilis conditionis eâ lege, quæ in pactis dotalibus exstat, ne filii ex secundo hoc matrimonio nati, in hereditate succedant, sed certâ portione bonorum, aut aliquâ pecuniæ summâ contenti sint. Obr. *d. Tr. feud. lib. 2. c. 13. n. 71*, Cujusmodi pactum non potest dici planè illicitum: cùm enim jus ipsum naturæ successionem nullam determinet, potest quis, si usus id admittat, pacto etiam liberis suis, certam portionem assignare, & à successione illos excludere. Affirmat hoc Grotius: *contra*, dicens, *evenire potest, non ex lege tantùm, sed ex pactione, ut qui ex conjugio nati sunt, alimenta sola habeant, aut certè excludantur à præcipuâ hereditate. Conjugium tali pacto initum, etiam cum liberâ fœmina, concubinatum Hebræi vocant, quale erat Abrahami cum Cethurâ, cujus liberi perindè, ut Ismael, ancillæ Agaris filius, dona, i.e. legata quædam acceperant; hereditatem autem non creverunt. Tale est matrimonium ad morgengabicam quod dicitur. lib. 2. d. I. P. & B. c. 7. n. 8.*

XXII.

Libris legitimè natis succedunt adoptivi. Qui jure quidem Civili cum aliis liberis æqualiter succedunt *l. 5. C. de suis & legit.* Non tamen jure feudali; uti apparet ex *§. adoptivus 2. F. 26.* Estque ratio, quia feuda dantur sanguini: Adoptio autem jus sanguinis non affert *l. 23. ff. de adopt.* Nec adoptivi liberi veri liberi sunt, sed adscitii & commentitii *l. 76. ff. de Condit. & demonstr.* & sic arte magis sunt, quàm naturâ procreati: nec propriè consanguinei dicuntur, sed impropriè *§. per adopt. 2. Inst. de legit. agn. success.* In tantùm verò à feudali successione arceri adoptivos oportet, ut ne quidem, si eâ fini, ut in feudo succederent, Imperiali Rescripto arrogati essent, in præjudicium agnatorum admitti possint. Rescripta enim quæ lædunt aliquem, ab omnibus judicibus refutari possunt *l. 7. C. de precib. Imp. offer.* & per *cap. 8. de Rescript. in sexto.*

XXIII.

Sed hîc exceptio quædam datur (1.) Si cum arrogatione vel adoptione jura naturalia concurrant, veluti, si avus maternus nepotem ex filiâ arrogavit, qui aliàs avo succedere potuit. Etsi verius sit, hoc casu nepotem, non jure adoptionis, sed jure naturæ, ac sanguinis succedere. (2.) Si feudum eo pacto datum fuit, ut adoptivi succederent, tum enim, quod ex jure feudorum fieri nequit, id ex pacto fieri potest, quia pacta etiam contra feudorum naturam apposita, valere solent. (3.) Si consuetudine vel statuto introductum esset, ut in feudis adoptivi succederent.

XXIV.

Illegitimè nati sive filii naturales, & vulgò nothi nominati, in feudis succedere nequeunt. Ratio est; quia honestè in curiâ Domini, inter tot nobiles personas stare, & coram Domino comparere nequeunt, & quia turpè & iniquum esset, ex concubinatu natos, iis æquiparari, qui ex justis nuptiis procreati sunt. Rosenth. *c. 7. concl. 19. n. 2.*

XXV.

Hîc spinosa occurrit quæstio: An etiam legitimati per subsequens matrimonium in feudis succedant? Mynsi. *Cent. 5. Obs. 42. n. 1.* & alii plures, hos in feudis non succedere affirmant. Quia jure feudorum simpliciter, & indistinctè omnes legitimati à successione feudi arcentur *2. F. 26. §. naturales.* Nec tamen puto, Mynsingero, aut aliis, cum eo idem sentientibus, *d. 2. Feud. 26. §. naturales* patrocinari: Hoc enim ipsi adversarii largiter concedunt, quod dictus *§. naturales* de successione tractet. Jam confessi juris est, in Successione tempus delatæ hereditatis respiciendum esse; legitimatio verò per matrimonium fit vivo legitimatore per *Novell. 89. c. 8.* & vide quæso *c. 6. X. Qui filii sint legitimi,* ubi vi matrimonii legitimatus pro verè legitimo habetur. Audiamus de præsenti re graphicis verbis philosophantem JCtum Janum ab Arcedurâ *c. 2. concluſ. 7. n. 26.* *Nuptiæ realiter intercedentes, an hæ videbuntur fictæ? hæ reddunt, quod earum defectus abstulerat, hæ præsentiâ suâ Domino & agnatis adimunt, quod prius absentiâ dederant; quod si interstitium mordet, quasi semper verum sit, in naturalitate natum esse, quod apud graves viros*

 ejus

ejus opinionem aggravent: Sed qui sunt isti Legibus & Imperatore graviores? Sit verum, in naturalitate natum; verum etiam est; legitimum factum esse, & ita quidem factum, ut ab aliis legitimis nihil differat. Itaq; veritas una per aliam non fictam, sed facti veritatem supprimitur, ut nihil nisi nudum factum supermaneat, effectu omni sublato, & potius imaginatio sit, quasi per somnum repræsentata: Sic itaq; nulla ratio est, quæ impulerit, aut impellere debuerit, dictum §. naturales de legitimatis per matrimonium scribere.

XXV.

Sed quid dicendum est de iis, qui per rescriptum Principis sunt legitimati, anne in feudis succedant? Et quidem tales regulariter non succedere apparet *ex cap. unic. §. naturales. 2. F. 26.* Disting. tamen inter feudum novum & antiquum. In feudo novo tunc demum succedunt, si ipse Dominus feudi eos expressè ad successionem velit admissos. In feudo verò antiquo non succedant, nisi consenserint illi, quorum subest præjudicium. Nam dum solos legitimè natos in literis investituralibus Princeps initio vocavit ad Feudum ut posteà legitimati spurii simul succedant cum iis, contra mentem ejusdem est. Struv. Synt. *jur. feud. d. c. 9. th. 3. n. 9.* Wesenb. *d. feud. c. 6.* Cujus verba *n.* 12. hæc sunt. *Si tamen pater curet à Principe legitimari filium non simpliciter, sed ut in feudis deinceps acquirendis succedat: certè causa non est, quare non admittatur in iis, quæ deinceps quæsiturus est pater, per emptionem aut alium modum. Nulli quippè hîc jus aufertur. At in feudis antiquis aut novis jam acquisitis secus videtur: cum hâc distinctione tamen, ut filius naturalis ad feudum antiquum legitimari non possit: ad feudum verò novum possit, sive jam antè quæsitum sive post quærendum: quod obtinere potest in feudo novo acquisito, pro se duntaxat & liberis. Hi enim factum patris retractare non possunt.*

XXVI.

XXVI.

Masculis, quos à Feudi successione repulimus, fœminas jam substernimus: Sic enim 1. F. 1. § 1. & potissimè §. 3. Feudorum Placita ita habent: *Hoc autem notandum est, quod, licet filiæ, ut masculi, patribus succedant: Legibus tamen à Successione Feudi removentur.* Ad quem textum Francisci Hottomanni in Comment. p. 139. ὑπόθεσιν laudo maximè, quæ hæc est. *Feuda ergò allodiis opposuit (Feudista) hoc modo: licet filiæ, ut masculi patribus succedant in allodiis; legibus tamen Lotharii & Conradi Impp. à successione Feudi removentur. lib. 1. tit. 24.* Cum hac expositione convenit Jacobi Cujacii lectio reformata hæc *Tract. de Feud. lib. 1. tit. 1.* *Hoc autem notandum est, quod licet filiæ, ut masculi, patribus succedant legibus, tamen à Successione feudi removentur.* Cl. v. Conrad. Rittershus. *in partit. feud. lib. 1. c. 14. qu. 1.* diverticulum facit, ac textum corrigit: cujus verba bonâ fide cito hæc: *Regula igitur esto: Fœmina in Feudo non succedit ex naturâ & conditione feudorum, tit. 1. lib. 1. Feud. in §. hoc autem notandum est. Vbi sic distinguendus est textus, qui vulgò perperam legitur:* LICET FILIÆ, UT MASCULI PATRIBUS, SUCCEDANT LEGIBUS: *hic accipe Legibus, quasi dixisset Feudista, Iure Civili: intelligit autem cùm alia juris nostri loca, tùm l. 4. C. de liber. præter. & l. 14. C. de legit. hered. Quod si ita, ut vulgò, distinguas:* LEGIBUS REMOVENTUR FOEMINÆ A SUCCESSIONE FEUDI, *nullam poteris proferre legem, quâ hoc cautem sit, cùm potius sit jus moribus introductum, quàm legibus aut jure scripto. Nominat quidem Hottom. LL. Lotharii & Cunradi, sed non probat.* Hæc ille. Sed ut à communi lectione secedatur, nulla sontica causa est; ex vi enim & necessitate sermonis in *d. §. 3. 1. F. 1.* palàm fit, notabile quid JCtum indicare voluisse circa fœminis denegatam feudi successionem, quale verò hoc notabile, si ad primum occupationis membrum vocem LEGIBUS traheres, ac nudè poneretur, A

C 2 FEUDI

FEUDI SUCCESSIONE FOEMINAM REMOVERI DEBERE: res tanti momenti firmari debebat Legum Autoritate publicâ, ut cuivis fœminæ innotesceret, hîc sibi in feudo negatum esse, quod jure Romano indultum erat in allodio: ac in §. 3. *d.* 1. F. 1. adeò lucida sunt verba, ut obscurari non queant, promulgasse legem Cunradum Imperatorem de Vasallitîcâ succedendi potestate solis masculis competente. Deinde in §. 1. *ejusd. tit.* 1. verba hæc: ***eò ventum, statutum, progressum, ac ita stabilitum est***, id importare videntur, quod nullatenus utentium moribus comprobatum fuerit, ut filii succederent soli: quæ enim consuetudo, quæ per annum tantùm robore durat suo, & quæ consuetudo statuit, sancitque ab initio?

XXVII.

Sed quæ hujus juris fœmineo sexui invidentis feudalia bona successionis titulo adipiscendi ratio sufficiens esse videri poterat? quod communiter pro legum positivarum justitiâ adfertur, easdem quidem suis rationibus destitutas non esse, licet eædem nos fugiant, id & hîc obvertere possem autoritate Juliani in *l.* 20. *ff. d. t. L.* ***non omnium***, dicentis, ***quæ à majoribus constituta sunt, ratio reddi potest:*** Sunt alii, qui altius philosophantur ac *d. l.* 20. non de se, sed de nobis loquentem introducunt, qui putamus, non prius legibus esse obsecundandum, quam de earundem rationibus cōstiterit satis; id quod falsum deprehēditur. Quia lex est, cui omnes obtemperare convenit *l.* 2. *D. d. t.* Alii *d. l.* 20. de effectibus juris exponunt, quorum rationes sæpius nescimus. Sunt, qui Eandem legem de arbitrio Legislatorum capiunt, qui in suis Constitutionibus multà sibi reservarunt, quæ nescire oportet subditos. Quicquid verò hujus sit, paratæ sunt rationes pro justitiâ jurium feudalium fœminas successuras excludentium. ***Mihi***, Joh. Sichard. *Comm. in Cod. ad Tit.* 66. *Lib.* 4. *L.* 1. scribit, ***videtur hæc fuisse ratio exclusionis fœminarum, quia per hoc conservantur familiæ; aliàs cùm fœminæ in alienas familias transeant, mutent nomen, domicilium: forum, & omnia pro ratione mariti, cui nubunt, ideò ut familiæ conserventur, voluerunt jura feudalia feuda manere in agnatis: videmus enim unà cum fœminis mutari***

omnia:

omnia: quæ fuit causa ut Labeo Antistius putarit sororem, quasi seorsim eat, dictam. Hæc ille. Poterat hoc argumentum nō abjectæ esse conditionis & farinæ, sed cùm totum totum in præsumtione aliquâ consistat, & ex Tabulis Feudorum Consuetudinum non ostendatur, rem vix absolvet. Deinde honestas ac pudor naturalis prohibet, fœminas cætibus Virorum associari; hinc Cato apud Livium in suasione Legis Oppiæ ait: Majores nostri nullam rem, ne privatam quidem, agere fœminas sine autore voluerunt, ideoque in manu esse parentum & fratrum virorumque, ac illa de nihilo essent, quod secreta Domini pandere viris magis, quàm mulieribus conveniat. 2. F. 7. in vulgus autē notum est, quàm hoc difficulter à fœminâ sperari queat. Omnium verò maxima ac adæquata erit, quod fœminæ ad defendendum Dominum in prœlio ineptæ sint. Origo enim feudorum ex militiâ est, & nunquam ei annexum, ut plurimùm militare, quale sexui muliebri minimè convenit. Compendium fecit hujus prohibentis juris JCtus Cujacius *Comment. lib. 1. Feud. tit. 1.* *Notandum,* dicens, *agnatos vocari ad successionem Feudi, non cognatos: nam Dominus qui dat Feudum, eligit sanguinem, familiam, stirpem generosam & fortem aliquam, nihilq; minus vult, quam ut ad feudum invitentur, qui seorsim ab eâ familiâ nascuntur. Eadem mens & cogitatio Domini facit, ut agnati vocentur, non agnatæ, filii non filiæ, quia mores certiorem generositatis fidem habent, & ut in optimo libro additur hoc loco, quia fœminæ neque faidam levare, neq; pugnam facere possunt, id est, quia bello gerendo faciendove idoneæ non sunt, & bellorum necessitas peperit feuda.*

XXVIII.

Remotas à feudi possessione fœminas nobilissimas creaturas, nondum linquere visum mihi. Qui ex professo earum patrocinium in hâc causâ suscipere cuperet, ita fortè argumentaretur.

Quæcunque fœminæ bellicosæ sunt, & in bello superiorem suum tutari possunt, eæ dignæ sunt, ut ad feuda admoveantur. Sed non tantùm natio nobilissimarum Amazonum, sed & ho-

 die ex

die ex bellicosis quibusdam populis secretæ fœminæ sunt bellicosæ & in bello superiorem suum tutari possunt. E. Assumtionem probant & Historiarum monumenta, & superioris præsentisquè seculi aliquot exempla martialium fœminarum. Audi Justinum Trogi Pompeji Epitomatorem *lib.* 2. *Horum* (intelligit Scriptor duos regios juvenes Plinium & Scholpythum) *uxores, cùm viderent exilio suo additam orbitatem, arma sumsere, finesq; suos summoventes primò, mox inferentes bella defendunt, Nubendi quoq; finitimis animum omisere, servitutem non matrimonium appellantes, singulare omnium seculorum exemplum.* Et in sequentibus pergit. *Si qui mares nascerentur, interficiebantur, virgines in eundem ipsum morem, non otio, neq; lanificio, sed armis, equis, venationibus exercebant, inustis infantium dexterioribus mammis, ne sagittarum jactus impediretur, unde Amazones dictæ sunt.* Majorem Propositionem itidem è tripote petitam esse, vix dubitandum, quid enim, cujus auspiciis bellum geritur, interest, an milite mare an fœminâ militet, vincatquè: quique æquè fœminam, quæ rem benè gessit, ac masculum remunerari feudorum possessionibus & poterat debebatquè. Verùm enim verò, quoniam natio Amazonum ad tempora tantùm Alexandri M. duravit, ipso fatente Justino, imò sunt, qui totam hanc rem aut in dubium vocant, aut inficiantur, ipsæquè quas superius & nostrum fortè peperit seculum, perpaucæ sint, frustrà de iisdem pro consequendis feudis, disputatio instituitur: imò si rem penitiùs consideres, uti debebas, objectio tota scopum non ferit. Quæstionis est, quare Feudorum Consuetudines ad feuda fœminas non admiserint? hîc responderi minimè oportet, quod ante nata forsitan Feudorum jura & post ea bellatrices fuerint fœminæ, quæ suâ pietate æquè ut mares fundos feudales meruerint: sed quos successores primi acquirentes sibi optarint spectandum est: jam si primos in Familiis Vasalliticis acquisitores repræsentare tibi, ac ab iisdem interrogare posses; quibusnam feudis suis noviter acquisitis consulere cuperent: omnes, ad unum puto, responderent SUIS MASCULIS, quos ut

se for-

se fortissimos, evasuros optarent, sperarentque sibi: jam feuda omnia antiqua ex illa primorum acquirentium mente ac cogitatione adhuc æstimanda sunt.

XXIX.

Et hæc ita regulariter, atque ex naturâ feudi procedunt, dantur tamen nonnulli casus, in quibus fœminæ quoque succedere possunt; sed ferè semper non nisi deficientibus masculis 1. F. 6. §. *quin etiam* 1. 1. F. 8. §. *filia verò*, ibi: ***filiis non extantibus*** : ne semel exclusæ in perpetuum censeantur exclusæ per *d. c. un.* 1. F. 8. & *c. un.* 2. F. 17. *vers. non enim.* Inter casus autem istos, quibus fœminæ ad successionem hanc admittuntur, frequentiores ac principaliores sunt *(1.)* si feudum fuerit maternum & fœmineum. Quod aliàs vulgò Weiber oder Kunckel Lehn appellatur. *(2.)* Si eo pactò feudum per investituram datum sit, ut fœminæ in eo succedant 2. F. 11. 2. F. 50. cujus varii sunt modi ac formulæ. Pacta enim omninò sunt servanda *l.* 7. §. 7. *ff. de pact.* Et videtur tunc Dominus à jure feudali resiliisse, & fœminarum servitiis contentus esse, adeò ut non habeat, de quo queratur amplius. *(3.)* Mos regionis ac consuetudo loci efficit, ut fœminæ feudum accipere, & habere possint, quam consuetudinem valere minimè dubitandum est, cùm per eam ad jus commune & naturale redeatur. Addunt etiam Dd. casum, in quo fœminæ succedunt, quando sc. feudum est concessum ad servitium tale, quod æquè commodè & honestè per fœminam atque per masculum explicari potest. 2. F. 104. Nempè ut quis uxorem Domini comitetur, ut domi uxori Domini ministret. Quia verò in ordinariis capitulis nihil tale reperitur, meritò hanc successionem fœmineam in medio relinquo.

XXX.

Sed num in feudo hereditario fœmineæ successioni patere locus potest? de quo antequam, quid sentiam, dicam; oportet de feudo hoc hereditario aliquid præmittere. Placet, quod hoc sit, ubi eo modo succeditur, sicut jure civili in allodiali re; cui hereditario benè contradistinguitur Feudum ex Pactò & Providentiâ, ubi successio fit modo à jure feudali determinato. verbo: successio feudalis illa est, ubi tantùm ratione sangvuinis illi, qui primò feudum acquisivit succeditur. Civilis verò ubi vel ob cognationem

vel ex

vel ex testamento succeditur; hæc civilis succedendi ratio, si Feudo per pactum opponatur, fit feudum improprium; hoc verò cùm nihilominus feudum sit, adeo absona nō est divisio hereditarii feudi, & quod est ex pacto sive contractu feudali & providentiâ primi acquirentis; & quidem hereditarium omnibus iis in locis, ubi feudalis successio pactis immutari potest, approbatur per text. 2. F. 11. ibi: *nisi ejus conditionis sit, vel eo pacto acquisitum* 2. F. 50. *pr. &* 2. F. 48. ubi dicitur: *Si quis eâ lege alicui feudum dederit, ut ipse & sui heredes, & cui ipse dederit, habeant. Respondeo, iste, qui sic accepit, poterit id vendere* &c. Formulæ verò quibus hoc feudum constituitur erunt fortè Sie zu rechtem Erbe alicui & suis heredibus quibuscunque, aut etiam heredibus tantùm, si consuetudo sinat, feudum debere hereditarium intelligi. Struv. *Synt. jur. feud. cap.* 4. *th.* 12. Cùm hæc igitur hereditarii feudi conditio sit, ut quoscunque heredes extraneos etiam admittat, ab eo nullatenus excludendæ sunt fœminæ.

XXXI.

Nondum satis de feudo hereditario; quod ad se & fœminas admittit, dixisse mihi videor: restat videre, an fœmina ob solum feudi hereditarii genium, qualitatemque succedat, an verò præterea speciali quoque pacto sit opus? Ut statuam, Pacto singulari opus non esse, moveor autoritatibus textuum 2. F. 11. *pr. &* 2. F. 50. ubi feudum ex pacto secernitur per disjunctivam à feudo fœmineo, quo ipso placet, feudum fœmineum esse posse, etiamsi nominatim non convenit, ac proinde, uti pactum investiturale facit, ut fœmina feudi capax fiat, ita conditio ac affectio feudi, quod fœmineum est, ad ejus successionem fœmina vocanda erit; id quod & ex mente concedentis & acquirentis constare potest; siquidem, dum quis fœminam primitùs investivit, cæteras sui sexus personas absque ullo alio adminiculo itidem habiles effecisse certò præsumitur: ac prima acquirens ad sui similes Fœminas feudū transtulisse videtur, res enim ex suis initiis æstimatur quàm rectissimè. Adferunt Adversarii textum ex 2. F. 30. ex quo hoc axioma sibi commenti sunt. *Feudum fœmineum seu à fœminâ acquisitum,* SINE PACTO *non descendit ad filias.* Sed verba textus prima præsentem

mate-

materiam abundè probant, nempè *in feudo fœmineo* DUM DEFECERIT SUCCESSOR MASCULUS, *fœmina succedit absq; pacto.* vide perallegatos textus 1.F.8.§.2.*&* 2.F.17. Benè Generos. Schenck Baro *ad d.t.*30. *lib.*3.*tit.*8.*n.*2. scribit. *Verùm æquior est prælibata opinio, & præsenti textu (meo judicio) clarè aperteq; suffulta, quæ & nititur ratione: Quia, posteaquàm hoc feudum primævâ concessione radicatum fuit in personâ fœminæ, iniquum aut contra mentem concedentis videri non potest, hoc in suâ originariâ qualitate ad fœmineam prolem propagari, cum rem quamq; suâ origine metimur & ad primordium tituli posterior formetur eventus.* vid. Hartm. Pistor. *lib.*2. *quæst.*34.

XXXII.

Præcedens quæsitum premens gravissima, & quæ clarissimorum JCtorum ingenia exercuit, succedit quæstio: Num fœmina à feudi successione semel exclusa, ita exclusa sit, ut si mascula prosapia extincta foret, nunquam ad feudum sit advocanda? Ne extra oleas, quod dicitur, evagandum sit, casuationem hanc præmitto. Quidam acquisivit feudum pro se & suis filiis & filiabus. Sohn und Töchter in absteigender Linien/acqvisitor decedit, relinqvens filios & filias, filii recognoscunt feudum, illudque recipiunt pro se & suis filiabus eodem modo, quo primus acquisitor, qui postmodum interstitio aliquot annorum, omnes ac singuli è vitâ discedunt, nullis relictis filiis vel filiabus, ad successionem adspirant sorores primi acquisitoris filiæ, disceptationis fuit, num quid semel exclusæ semper exclusæ sint habendæ, & ita ex capite reversionis Domino feudum cedat, an verò intuitu primæ investituræ nihilominus admittendæ? Dum Dd. hîc serram contentionis reciprocant, cum iis conspiro, qui fœminas primi acquisitoris filias, post extinctam stirpem masculam, quæ hactenus feudum possederat, admittunt; ubi primùm cito §.2. 1.F.8. ubi dicitur: *Tunc enim succedit filia, filiis non extantibus:* vides, jus fœminæ, quod vivâ altera feudi possestrice stirpe masculâ in herbis erat, jam prodeat, & in actum erumpat. & textus 2.F.17. abundè satisfacit huic cõtroversiæ

 proban-

probandæ, potiſſimè verò hæc verba: *Non patet locus fœminæ in feudi ſucceſſione, donec maſculus ſupereſt ex eo, qui primus de hoc feudo fuerit inveſtitus.* Unde lubeſcit ita ratiocinari:

Ubi caſus ſucceſſionis fœmineæ jure potentiali competentis nondum contigit, ibi à ſucceſſione hâc fœmineâ excluſa eſſe nequit.

Atqui ob exiſtentiam vaſalli maſculi, & ejus actualem ſucceſſionem, caſus ſucceſſionis fœmineæ, jure potentiali competentis, nondum contigit. Ergò.

Majorem oſtendere conarer hoc modo: quod eſſe potentiâ excludat & neget quidem actum, interim tamen eſſe potentiâ dicatur, quod actu non eſt, poſſit tamen eſſe: hoc eſt, ut id ad hypotheſin noſtram transferam: Fœmina in feudo, exiſtente maſculo, habet jus potentiale, i. e. quod poſſit, remoto maſculo, ſuccedere; hocque jus negat quidem actualem fœminæ ſucceſſionem adeſſente mare, ſi nunc removeatur maſcula ſtirps, jam in actum productum eſt, quod antea καθ' ἐλπίδα ſeſe jus habebat, & potentia aderat. Minorem verò probo, quod exiſtentia maſculi ſit ille obex firmus, qui fœmineam ſucceſſionem claudit i. e. impedit: Claudit verò ſeu impedit non in perpetuum, ſed ad tempus tantùm i. e. quamdiu ſuperſtes eſt maſcula proſapia. Hanc verò interpretationem mens ac intentio feudum primò conſtituentis efflagitat, nam ſi fœminas oporteret perpetuò remotas eſſe, ſtatim eo momento, quo ad feudum vocantur, ſecluſæ eſſent: ponas enim primum acquirentem filios tantùm habere, tum non poteſt intelligi inveſtitura etiam pro filiabus eſſe facta: habeat idem primus acquirens cum maſculis filias etiam, hoc caſu neceſſe eſt, in literis inveſtituralibus ita proſpectum eſſe fœminis, ut in defectum maſculorum ſuccedere poſſint, aut ſi formabis caſum, quod, maſculis præ patre morientibus, tantùm ſuccedere fœmellæ habeant, mortuo patre, in anguſtiſſimo loco coarctabis bonas fœminas, & caſum tractas, quem ſolum contrahentes reſpexiſſe præſumptio nulla eſt.

XXXIII.

Vera quidem eſt ſententia, quam th. præcedaneâ tuitus ſum. Sunt tamen, qui hîc obloquuntur: ſed ſciant falſa non vera eſſe refutanda. Objiciunt verò Nomotheſiam nobis Moſaicam. Ubi

extante

extante filio arcebatur filia hereditate, & in illius defectum eâ lege admittebatur, si de familiâ virum sibi sociaret, quandoquidem Judæi eo nitebantur, ut familiæ potius, quàm assessori assererêtur bona, in collaterali verò lineâ, prorsus summota erat. Numeri c. 27. v. 8. Ubi ita inquit Jehova: Homo cùm mortuus fuerit, ad filiam ejus transibit hereditas. Et v. 11. eritquè hoc filiis Israel sanctum lege perpetuâ. R. Distingv. inter legem Moralem & Forensem. Illa nos obligat. Hæc autem est vel absolutè talis i. e. lata super rebus mutabilibus & Reipubl. Judaicæ propriis. Vel fundamentum habet in lege morali, i. e. præcipit quædam de immutabilibus. Priori modo lex forensis nos non obligat. Sed posteriori modo est obligatoria, sc. quatenus fundamentum habet in lege morali. Deinde contradictorem hæc opinio sortita est Janum ab Arcedura *cap. 2. Concluf. feudali VII. àn. 66.* ubi hoc argumentum habet: ob §. *quin etiam* 1. F. 6. junctâ clausulâ finali. *Quæ fæmina ita non admittitur, ut cæteris paribus & quoad eam feudum Domino fiat caducum, ea non tantùm ab actu, sed ipso etiam potentiali jure succedendi remota intelligitur. Atqui talis est fæmina per masculi existentiam non admissa.* Ergo &c. *Vox igitur* ULTERIUS, *etsi ad ordinem successionum referatur, & ex aliis textibus interpretanda dicatur, hìc tamen ex clausulæ declaratione totalem significat exclusionem, & tanquam definita hìc non est aliunde determinanda, & ut maximè distinctio fingi possit inter exclusionem à jure & ab actu, eam tamen jura feudalia non agnoscunt: quin potius remotum ab actu, ab omni potentiâ repellunt, impedimento etiam cessante argumento clerici 2. F. 30. in fin.* & deinde ex *n. 72. p. 176.* pergit: *Movet me ultra prædicta, quod radix istius feudi, unius masculi admissione, qualitate masculâ infecta sit, ut fæminam ferre amplius nesciat.* Hæc ille. Quanquam apud eundem plura alia reperiantur argumenta, quibus meam occidere satagit sententiam, in præsenti tamen adductis dubiis contentus esse volui. Dum in capita digero

 obje-

objectiones, primùm occurrit, quod jure Feudali remotum ab actu à potentiâ etiam remotum sit, cessante etiam impedimento: de quo consultò primùm disquirendum est, cùm totius Arcedurae Disputationis κρινόμενον esse videbatur, ac cui ut fundamento Syllogismum suum Autor superstruxit: Deinde quod vox ULTERIUS 1. F. 6. §. 2. totalem ac perpetuam exclusionem notet: ac tertiò demùm, quod semel admissa mascula proles ferre fœmineam nequeat, ignoretque. Hæc dum pro ingenioli modo refutare tento, præfiscinè dico, me solius juris asserendi causâ, non contradicendi studio hoc oneris suscepisse. Quod primùm attinet, remotum nempè ac actu, etiam remotum esse à potentiâ. Hoc in nostro casu propter rationem temporis diversi non procedere existimo: siquidem quamdiu masculi supersint, fœminæ quidem ab actu excluduntur; interim tamen potentia succedendi ipsis minimè denegatur. Quando enim removetur mascula stirps, nihil impedit, quo minus ad successionem admittantur. Deinde verbum ULTERIUS in *d. t. 1. F. 6. §. 2.* valdè ipsi arridet: audiamus textum: *Quin etiam, si quis eo tenore feudum acceperit, ut ejus descendentes masculi & fœminæ illud habere possint, relicto masculo*, ULTERIUS *Fœminæ non admittuntur. & §. fin. d. t. 6. & his omnibus casibus feudum admittitur & ad dominum revertitur.* Ultrò fatendum est, quod fœmina, relicto masculo successore, ulterius ad feudum admitti non debeat, hæc ulterior exclusio, vivente masculo, non est perpetua ac totalis, sed temporaria ac partialis; ille ipse *d. §. 1.* jus aliquod fœminis potentiale transcribit, id verò frustrà & dicis gratia positum esse nequit, nisi ludere Magnates credas, dum investituras fœminis etiam largiuntur: Quid obstat igitur, quò minùs dictorum verborum laudato §. 1. hunc intellectum formes: Fœminæ ultra masculos non admittuntur. Verba mea facio, quæ sunt CL. Georg. Obrechti *de jure feudorum lib. 2. c. 14. n. 54. Non admittitur fœmina, quam masculus impedit, quò minus succedat, nam quia fœmina, non nisi deficiente masculo succedere potest, certè si adest masculus, fœmina pro illâ vice ad successionem admitti nequit, & consequenter pro illâ tantùm*

vice

vice à successione excluditur: non autem idcirco etiam à jure succedendi excluditur, quia impedimento sublato, masculo nimirum deficiente, adhuc in feudo rectè succedit, hoc enim & generalis successionum natura, & forma investituræ requirunt. Cæterùm clausula finalis *in d. t. 6. lib.* 1. his verbis prolata: *ex his omnibus casibus feudum amittitur, & ad dominum revertitur*, non ad §. 1. sed 2. mutus, referenda est: ac hinc ad Syllogismum, quem proposuit Janus ab Arcedurâ, responsio erit. Ultimum Jani ab Arcedurâ telum, non est telum, cùm in masculæ prosapiæ arbitrio locatum non sit, auferre fœminis competitura jura, ac incongrua videtur locutio, quod mascula proles ferre nesciat fœmineam tum temporis, ubi mascula in vivis esse desiit.

XXXIV.

Non minus serram contentionis reciprocant Dd. An fœmina, non existente masculo; ad successionem feudi semel admissâ, superveniente postea masculo, à feudi possessione rursus removeri debeat? Et non removeri, sed eam feudum, toto vitæ suæ tempore retinere debere, communis & recepta est Dd. observatio. Jura enim feudalia fœminas ab acquirendo quidem feudo removent, sed non ab acquisito 1. *F.* 6. §. *quin etiam.* 1. *F.* 8. §. *filia.* 2. *F.* 11. §. *ad filias.* 2. *F.* 17. & 50. Jam hoc per successionem fœminæ adquisitum jus perpetuum & irrevocabile est factum 2. *F.* 51. §. *similiter.*

XXXV.

Ulterius quæritur: An fœmina in feudo franco succedat. ℞. Negando: quia generaliter placitis feudorum definitum est, fœminas à feudi successione arceri. 2. *F.* 11. 36. 50. Isti igitur regulæ standum, donec in specie quid exceptū doceatur. Obj. cessante causâ, cessat legis dispositio, in feudo franco cessat, h. e. servitia non præstantur militaria, propter quæ fœmina à feudo rejicitur. E. cessat legis dispositio, & per consequens fœmina succedit. ℞. Etiamsi una

und darauff allenthalben in unsern Landen also erkant und gesprochen werden.

XXXVIII.

Sed quid de imperfectis dicendum est; & hos plerumque non succedere affirmo, *sive sint imperfecti animo*, quales sunt furiosi & mente capti, eo quod ipsi servire non valent, 2. F. 36. Quibus tamen prodigum minimè annumerandum puto, cùm servitia ipse non minus, quàm cætera fidelitatis contenta præstare possit, etiamsi libera bonorum administratio penes curatorem ejusdem remaneat. *Sive corpore*, quo referendi sunt surdi, muti, cæci, claudi, 2. F. 36. 1. F. 6. §. *mutus*: Qui textus, licet nihil dicant de mente imperfectis, tamen ad hos, propter identitatem rationis, quod scil. ipsi servire non valeant, possunt applicari. Dn. Struv. *synt. d. loc. th.* 10. Idem judicium est de eo, qui manum debilitatam, aut aliud membrum ad servitia præstanda habet inutile. Rosenth. *c.* 1. *conclus.* 15. *n.* 6. *in fin.* Quia feuda dantur propter servitium i. e. ut Vasallus juvet Dominum in præliis. Quod servitium & officium cùm non possit habere locum in manco, jure cessabit beneficium, quod datur propter officium. Sichard. *ad C. lib.* 8. *tit.* 53. *l.* 1. *n.* 7.

XXXIX.

Hos autem omnes, qui naturâ ita comparati sunt, à successione feudi removendos esse, existimo, non autem eos, qui tardè loqvuntur, audiunt, aut ambulant §. *item surdus* 3. *Inst. quib. non est. perm. fac. testam.* Deinde distinguitur inter eos, qui perpetuò tali vitio laborant, & qui vitio temporali utuntur. Cùm illi toto vitæ suæ tempore servitia feudo consentanea præstare nequeant, omninò removendi erunt. Hi verò neutiquam, quoniam non solùm ante Domino fideles fuêre, verum etiam cessante malo, commoda Domini promovere possunt. Denique videndum, an tale corporis vitium post feudum acqvisitum, an verò ante supervenerit. Priori casu feudum tali imperfecto non est auferendum: quia jure feudali nullibi reperitur expressè cautum, ut hoc casu imperfectus feudum amittere debeat. Quin potius contrarium sta-

servit, quia non potuit. Obstat enim non propria voluntas, sed fortunæ calamitas. Itaque concludo, post acquisitum feudum id non amitti, si vasallus imperfectus factus est, sed posse eum per substitutum feudalia servitia præstare. Obr. *d. loc. n.* 49. Huic etiam sententiæ non contradicit jus Saxon. Wird ein Kind gebohren (inquit text. *in art.* 4. *lib.* 1. *specul. Sax.*) stumm / sinn- oder witzloß / oder blind / oder sonst unvollkömlich / an seinem Leibe / das ist wol Erbe zum Landrecht / aber nicht zum Lehnrecht. Hätte aber ein Mann Lehen empfangen / ehe er so gebrechlich worden wäre / das verleust er damit nicht. Der aussätzige Mann der empfähet gleicher weise auch kein Lehen noch kein Erbe / hat er aber das empfangen vor der Seuche / und wird darnach siech / er behält es / und vorerbet es auch als ein ander Mann.

XL.

In feudis maritus uxori non succedit propter text. 1. F. 15. 2. F. 13. Ratio est: quia pacto investituræ, ex quo tota ratio successionis feudorum manat, ejus, qui feudum accepit, posteri seu liberi soli comprehensi intelligantur. Quod si aliud cautum sit investiturâ, nihil prohibet, quo minus secundum ejus tenorem, conjux conjugi in feudo succedat.

XLI.

Circa hoc thema occupatur. An etiam fiscus succedat? Jure quidem communi omnibus aliis cognatis & conjugibus deficientibus fiscus in hereditate vacante succedit *l.* 4. *C. de bon. vacant.* Jure feudali verò hâc in parte nulla fit successio, sed Vasallo, sine legitimo herede defuncto, Dominus feudi succedit, seu potius feudum revertitur tàm de jure feudali communi *c. un. v. etsi clientulus* 1. F. 13. 2. F. 9. quàm Saxonico Lehent. *c.* 6. Quemadmodum de hoc jure etiam in rebus expeditoriis Vasalli, sine filio & agnatis defuncti dominus feudi, ad quem sc. feudum revertitur, fisco præfertur. Et quando defunctus varia habuit feuda, tum quilibet dominus eas expeditorias, quas in feudo suo invenit, lucratur Landr. *lib.* 1. *art.* 28. *tit.* 6.

XLII.

Tertius succedendi ordo est Collateralium, qui deficientibus descendentibus in feudo succedunt, venientes à primo adquirente, dummo-

dummodo ejusdem sint agnationis & Familiæ 2. F. 11. *v. quod ita intellig.* 2. F. 50. *v. ex latere omnes*. Estquè ratio, quia Dominus feudum concedens, eligit familiam fortem & generosam, iisquè feudum concedere vult, qui ex istâ familiâ sunt. Et hoc tantùm procedit in feudo antiquo & paterno, non verò in feudo novo. Ita ut in feudo novo, inter collaterales descendentes, frater fratri primo acquirenti regulariter non succedat 1. F. 8. §. *ult*. 1. F. 20. etiamsi eadem investiturâ comprehensus fuerit. Hub. Giph. *ant. jur. feud. Disp*. 5. §. 43. Struv. *d. l. th*. 4. Ratio, quod frater fratri sine liberis decedenti in feudo non succedat, licet communiter id acceptum sit, sumi potest ex primævâ successione, quæ solorum masculorum descendentium erat. In feudo verò novo frater pro descendente non habetur.

XLIII.

Nisi (1.) speciali pacto id actum sit, ut frater succedat 1. F. 20. ibi: *nisi per investituram*. 2. F. 12. ibi: *nisi facta fuerit eo pacto*. Et tunc nihil interest, an ambo fratres simul sint investiti, nec ne, sed utroque casu secundum pactum frater fratri, sine descendentibus mortuo, succedit, per text. 1. F. 20. Quia pacta dant legem contractibus. (2.) Si feudum sit ex communibus bonis paternis, vel aliàs ex communi pecuniâ, utriusque nomine, sciente domino acquisitum, 1. F. 20. ibi: *vel nisi beneficium*. (3.) Si steterint in simul h. e. vel in casâ communi cohabitarint, vel omnium bonorum, pro indiviso socii sint. (4.) Si fratres feudum in hostem regis acquisierint 1. F. 20. ibi: *vel in hostem*. h. e. si fratribus cum Domino in castris, equis & armis communibus, adversus hostem militantibus, à Domino, hanc communionem non ignorante, simul sit concessum.

XLIV.

Collaterales autem sunt vel descendentes vel ascendentes: Descendentium sunt fratres, tàm [illegible] mani, quàm consanguinei, qui æqualiter de jure feudali [illegible]

ſtipite & ſanguine primi acquirentis deſcendiſſe 2. F. 11. v. *quod ita intellig.* Struv. *Synt. d. loc. c. 9. th. 6.* Verùm, quod diximus conſanguineos cum fratribus germanis ſuccedere, id tantùm locum habet in feudo maſculino, non etiam fœminino. e. g. Titius ex primâ uxore jam mortuâ unum habet filium. Poſtea ſecundùm ducit uxorem, quæ à majoribus feudum fœmineum poſſidet, ex eaque duos procreat filios, qui cum filio primæ uxoris ſunt fratres conſanguinei. Sicut autem, ſecundâ uxore mortuâ, cum illius duobus filiis in feudo primæ uxoris filius non ſuccedit, etſi ſint conſanguinei: ita quoque ſi unus ex ſecundæ uxoris filiis ſine liberis moritur, frater, ex primâ uxore natus, non ſuccedit in feudo cum ſuperſtite fratre ſecundæ uxoris, licet inter ſe ſint conſanguinei: quia feudum à ſecundâ & non à primâ uxore provenit, & quia ſucceſſor ab illius ſemper ſtipite deſcendere debet, qui primò feudum acquiſivit. Obr. *d. jur. feud. lib. 2. c. 16. n. 25.* Secus eſt de jure Civili, ubi in ſucceſſione Collateralium, utrinque conjuncti præferuntur fratribus, ex altero tantùm parente conjunctis. Ideò, quia utrinque conjuncti utuntur duplici jure, ſive vinculo conjunctionis, à patre ſc. & matre, per *auth. itaq. C. commun. de ſucceſſ.* Unde eſt, quod talis prærogativa fratrum utrinque conjunctorum non extendatur ultra ipſos fratres, eorumquè liberos. *Auth. ceſſante C. de legit. hered.* vid. Chriſt. Zob. *Diff. 17. part. 3. n. 13.*

XLV.

Ex his, quæ hactenus tradita ſunt, lucem capit & illa quæſtio. Si cum liberis primi gradus, liberi ulterioris gradus, h. e. Nepotes ex filiis primi gradus præmortuis, & Neptes, Pronepotes, Proneptesquè ac cæteri deſcendentes defunctorum Parentum concurrant, an cum illis ſeu patruis in ſtirpes, an verò in capita ſuccedant? Eorum ſententiæ adſtipulor, qui affirmant, eos in ſtirpes ſuccedere. Neque ſine ratione; quia locum patris ſui aſſumunt. per *Novell. 118. cap. 1. §. cum filius 6. Inſt. de hered. quæ ab inteſt. defer.* tantamque hereditatis partem accipiunt, quantam pater eorum unâ cum aliis fratribus ſuis, ſi viveret, accepiſſet. Idquè fieri videmus jure Repræſentationis, quo liberi ulteriorum graduum in priorum deficientium locum veniunt, & cum proximioribus in ſtirpes ſuccedunt, ita ut plures perſonæ habeantur pro unâ. Nec obſtat huic

huic juri repræsentationis regula, quod proximior in gradu remotiorem excludat. §. *si plures 5. Inst. de legit. agnat. success.* Nam ea in aliis successionum ordinibus, in quibus jus repræsentationis locum non habet, firmiter subsistit, in hoc tamen Descendentium ordine locum non habet, ob jus illud repræsentationis, quod in hoc descendentium ordine non tantùm ad Nepotes & Pronepotes, sed ad omnes descendentes in infinitum extenditur. Idem quoque obtinet de jure feudali, quo similiter jus Repræsentationis in Nepotibus masculis in infinitum locum habet, per text. *in c. unic.* ibi: *loco sui Patris de success. Feudi* 1. F. 8.

XLVI.

Haud inconvenienter disquiritur: Si duorum fratrum filii soli sint, an patruo defuncto in capita, an verò in stirpes succedant? In capita illos succedere in feudis de jure verior est sententia. Henr. Zoes. *in prælect. feud. c.* 10. *n.* 45. Ubi enim est paritas graduum, ibi repræsentatio locum non habet. Repræsentare enim est in locum alterius succedere. §. *cum filius 6. Inst de hered. quæ ab intest.* Sed in hoc casu est paritas graduum. Fratrum enim filii pari gradu à patruo distant. E. pari quoque jure h. e. in capita succedent eidem. Quanquam enim sint impares numero, pares tamen sunt sanguinis vinculo. Quot igitur nepotum capita, tot etiam hereditariæ portiones. Schenck Baro *lib. 1. tit.* 8. Struv. *all. loc. th. 6.* Non obst. quod dissentientes objiciunt. Jus id vetus postmodùm per *Novell.* 118. *c.* 3. mutatum esse. Unde de Jure Justinianeo recentiore priorem sententiam non locum habere. Id ipsum siquidem negatur. Jus repræsentationis quidem tribuit fratrum liberis Justin. verùm non indistinctè, sed limitatè ac definitè, videlicet tùm, quando isti cum propriis θείοις (patruis, avunculis, amitis, materteris §. 3. *Inst. de grad. cogn.* cùm enim parentes liberis sint quasi θεοὶ, patrui & avunculi appellati sunt θεῖοι, amitæ & materteræ θεῖαι) concurrunt *d. c. 3. v. si autem, vers. sed & ipsis.* Unde tolle conditionem, & ipsa cessabit repræsentatio, ac consequenter successio in stirpes. Nullaque

& legit. l. consanguinitatis 3. C. de legit. hered. introducebat. Unde Imper. volebat consulere fratrum liberis eo casu, quo anteà per jus commune negligebantur. Hinc Privilegium & Beneficium indigitatur in *d. c.* 3. Ne tamen fieret injuria patruis, omninò tantùm loco suorum parentum, & sic jure repræsentationis eos succedere æquum erat. Non enim tum è propriis personis vocari poterant. Quando autem sunt soli, tum anteà iis de antiquiore jure satis prospectum erat, de quo è propriis personis viriliter succedebant, sicquè beneficio aliquo novo non indigebant. Et imò, si Imper. eos per repræsentationem hoc casu succedere debere voluisset, beneficium iis ademisset, neque in favorem ipsorum, sed odium id fecisset. vid. Magnif. Dn. Strauch. *Coll. success. ab intest. Disp.* 5. *th.* 12.

XLVII.

Demum successio in stirpes tantùm ibi locum habet, cùm ad eos, qui è defuncti stirpe h. e. sobole ac progenie sunt, hereditas defertur *d. §. 6. Inst. d. hered. quæ ab intest.* Sed fratrum filii ex patrui stirpe ac progenie non sunt. Igitur etiam hereditas illius in stirpes dividi non potest.

XLVIII.

Graduum autem computationem ex jure Civili non Canonico instituendam esse arbitror. *per c. un. §. hoc quoq; sciendum 4. de his qui feud. dar. poss.* 1. *F.* 1. ibi: *Beneficium advenientes ex latere ultra fratres patrueles non progreditur successione, secundum usum ab antiquis sapientibus constitutum.* junct. *c. un.* 1. *F.* 8. ibi: *Olim observabatur usq; ad quartum gradum tantùm.* Unde liquet apertè, fratres patrueles, jure feudali, quarto gradu à se invicem distare; quæ est computatio quoque juris Civilis *§ quarto gradu 4. Inst. de grad.* qui de jure Canonico distant gradu secundo *c. ad sedem 2. Vers. filij fratrum. caus.* 35. *qu.* 5. Neque locum habere potest responsio Fachin. ad textus istos: quasi non de uno eodemquè casu sint intelligendi. Satis enim apertè refutatur per ipsa verba, quæ utrobique loquuntur de Successione, & quidem ex jure antiquo. Unde textus 1. *F.* 8. non potest intelligi de jure recentiore, ob particulam olim. Probant idem verba seqq. utriusque textus, quibus illud, quod antiquitus observabatur ad gradum usque quartum, extenditur ad gradum septimum usque. Nec desunt mihi alii textus; expressis enim verbis dicitur 2. *F.* 37. *eum ordinem graduum servari debere in successione feudali, qui continetur in legibus*, h. e. civilibus 2. *F.* 1. *V. legum autem Roman.* & text. 1. *F.* 1. *§. hoc autem*, ibi: *patribus succedant legibus.* h. e juris Civilis præsertim, quia aliàs, quoties legum absolutè fit mentio, id per excellentiam de legibus Romanis intelligendum est *§. sed jus quid. Civile 2. Inst. d. I. N. G. & C.* Consule Magnif. Dn. Strauchium, Affinem, Dominum atque Patronum meum omni observantiâ colendum *Colleg. success. ab intest. Disp.* 2. *th.* 20. & Schnob. *Disput. Feud.* 7. *th.* 20.

SOLI DEO GLORIA!